

A. v. Kl.

Biz

21,1

B e r i c h t

über das

Gymnasium in Bielefeld

von

Ostern 1840 bis Ostern 1841

wommt

zu der auf den 1. und 2. April

festgesetzten

öffentlichen Prüfung der Zöglinge dieser Anstalt

ergebnis einladet

D. C. Schmidt,

Königlicher Professor und Director des Gymnasiums.



Premissa est

Epistola ad Jac. Grimm, virum excell., de Echasi captivi.

Bielefeld,

gedruckt bei **Belhagen & Klasing.**

1841.

g/bi
2 (1841)



[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

Epistola ad JACOBUM GRIMM, virum excellentissimum, de *Ecbasi captivi*.

QUUM FRIEDERICUS HEIDBREDE, collega olim suavissimus, anno MDCCCXXXIX ei scriptioni, quæ peracto orbe annuo ad indicenda paschalia scholarum solemnia solet edi, de *L. Annæi Senecæ Consolatione ad Marciam* præfaretur, ominose satis in fine »Animadversiones, inquit, quas in præfatione me additurum esse dixeram, propter angustos hujus libelli fines omittendæ fuerunt: proximo tamen anno, si deo placet, edentur.« At vero non ita placuit deo, nam anno post præpropere mortem occubuerat. Interea vero dum, quæ phthisis est malitia, mortem non præsensisset, sed in diem sanitatis reditum speraret, de programmatis materia cogitare coepit ac prorsus neglectis animadversionibus istis in illud carmen incidit, quod *Tu*, JACOBE GRIMM, quem Regis nostri sapientissimi clementia nostrum jam esse factum et lætantur et gloriantur Borussia viri bene cordati omnes, ex duobus burgundicæ, quæ Bruxellis est, bibliothecæ codicibus a. MDCCCXXXVIII cum pluribus aliis edidisti. Vocatur *Ecbasis cujusdam captivi per tropologiam*. In eo carmine, quod recte videris in decimo seculo ponere, ipse et multos ex Horatii carminibus petitos legi versus senseras neque a philologorum rationibus alienum esse judicaveras, hos versus ad componendam diversitatem codicum, — nam eatenus hoc quoque carmen pro codice manuscripto eoque non pervetusto quidem nec tamen recenti haberi potest — cum legentibus communicari. Hos ergo versus, notaverat autem paulo plures quam *Tu*, Vir fortissime, et si quos aliorum poetarum veterum videretur *Malchus*, vel quisquis fuit istius carminis auctor, esse imitatus, hic indicare secum constituerat ille. Quod consilium, de quo sæpe mecum disseruerat, ut mortuo illo ego exsequerer, sero illius liber ad me est allatus, in quo præter versuum se judice ex veteribus poetis transcriptorum notationes nihil admodum ascripserat. Quod autem ante hunc annum per temporis angustias facere omnino non licuit mihi, id ne nunc quidem plurimis per novissimum annum ac partim molestissimis negotiis districtus ita facere possum, ut ipsi mihi nedum aliis satis probem. Quare ad *Te* maxime, Vir optime [hoc autem nomen latine, non germanice, intellectum volo] de *Ecbasi Tua* scribere malui, expertus enim ipse scio, *Te*, quo doctior fere es aliis, iisdem esse eo æquorem et justiore, qui quum omnia naso suspendunt acuto, nihil inde nisi nasuti fiunt vel sat suspiciosum ex ea suspensione contrahunt nasi ruborem. Sed habeant sibi. Ego vero

quum de aliis *Tecum* colloqui hic vellem, tum de iis, quæ pp. 278 & 317 sq. dixisti, non mulierum quidem ritu sed tamen altercari prolixius *Tecum* decreveram. Illic enim „Quum v. 1224 [*Versus milleni centeni septuagenti*] carmen ipsum, inquis, non nisi versuum 1170 esse dicat, si quinque illi, qui post sunt, in censum non referantur, quinquaginta quatuor videntur esse interpolati. An prologi undequingenta versus de universo numero demere et pro recentiore additamento habere licet? Convenit fere numerus. Ceteroquin quum ex Horatii carminibus quinquaginta aliquot versus propemodum in hoc carmen irrepsisse pateat, nescio an in his ipsis interpolatio sit posita. De quo mox accuratius videbimus.“ P. 317 sq. autem „Quinquaginta quatuor, pergis, omnino versus habemus alienos, id est ipsum illum, quem supra significavi, additiorum numerum. Jamne eos *Malchus* ipse emendatrice manu post apposuit? an alius monachus? hoc fere quis credat, quoniam ipsum auctorem credibile est vel sublaturum vel certe mutaturum fuisse versum 1224, qui 1170 tantum numerat: interpolator et reliquit illum et adjecit post etiam vv. 1225 & 1228 una cum tribus aliis in fine ex Horatio. [*Hos tamen duo versus, si accurate numeretur, ipse negas ad 1170 illos esse annumerandos, ut 1224 fiant, facile TE duos alios potuisse effugere.*] Quos etiamsi ignotus quis adjecerit, parum tamen est causæ, cur hoc adminiculum in aliud rejiciamus seculum, quam item in decimum. Horatius et auctori et correctori *Ec-basis*, æque utrique, ante oculos versari potuit. Ac per verborum quidem & sententiarum tenorem, qui interpolatione adjecti sunt versus, fere semper facile desiderantur; nisi quod singularia quædam Horatii verba, ut si v. 124 „*inberbis juvenis*“ ex A. P. v. 161, vel v. 668 „*popellus*“ ex Epist. I, 7, 65, vel v. 209 „*quæque retegens*“ ex Serm. II, 3, 2 mutuo sumuntur, e contrario a prima manu esse ascripta contendere licet. Etiam „*abnormis garrulus*“ v. 1188 Horatium sapit. Sed quidni interpolator viliora quædam poetæ verba lectoribus mutaverit?“ — De his ergo pluribus disserere volebam, sed id si vellem, universum carmen typis hic erat repetendum, quod per sumptuum in hunc libellum impendendorum locique angustias non licet. Neque magis id aliæ, quas hic recensere nihil attinet, causæ nunc quidem patiebantur. Prius vero quam ad indicandos singulos versus accedo, non possum non adjicere, quæ p. 317 de codicum latinorum per Germaniæ fines propagatione docuisti. Nam „Nondum, inquis, satis exploratum est, qua via scriptorum latinorum quoque mediæ ævi seculo notitia propagata sit. Quidam, ut Virgilius, Terentius, Lucanus alii sat mature noti erant. Horatius et parcius et serius est allatus. *Notkerus Labeo* Sangallensis († 1022) illum, quantum quidem sciam, nunquam, hos sæpius commemorat. Sed videtur tamen codex Horatianus in monasterium Sangallense anno fere 965 venisse (Pertz 2, 125); apud *Conradum de Fabaria*, quem illius monasterii casus post ultra perduxisse scimus, aliquoties „versus Oratii“ laudantur (Pertz 2, 174. 183), tertio decimo sane seculo, quo illius poetæ notitia longius jam pertinebat. Probabile enim est, eum inde ab undecimo maxime seculo frequentius lectitari esse coeptum. Nam „vignit Horatius magnus“, est in vita *Meinweri* (qui episcopus fuit Paderbornensis 1009 — 1036) cap. 52. Secundum vitam sancti *Wala* vero (quæ scripta est sub annum 851) Horatii codex aliquis jam nono seculo fuit in monasterio Corbejensi (Pertz 2, 536)

et *Ermoldus Nigellus* Aquitanus in carminis, quod 826 scripsit, libro I, 17 Flaccum inter alios vates refert, atque prius etiam Flacci cognomen *Alcuino* inditum non aliunde est repetendum, quam ex ipso illo poeta romano, quem anglosaxonicos monachos verisimile est prius cognovisse quam germanicos. Ex quibus omnibus illud facile efficitur, Horatii codicem unum alterumve decimo quidem seculo in Lotharingia esse potuisse. Denique lectorem illud monitum volo, ne quid nec de *Tua* nec de *Friederici Heidebreede* laude malevole invidioseve detrahere voluisse videar, quos *Tu* notasti versus, uno, quos *Friedericus Heidebreede*, duobus asteriscis a me insigniri, nisi quando quid suo cuique nomine tribuitur. Sequor autem, ut par esse videbatur in tali scriptione, non alium nisi ipsius carminis versuum ordinem et numeros.

Versus secundus *Ecbasis*:

De multis miror, puerilis quæ vehit error

notante *Heidebreedio* videtur illa apud Horatium in A. P. v. 308 respicere: quo *ferat* error. vs. 4:

Nectebat neniis, nugis quia totus in illis,

idem comparat Horat. Epist. I, 1, 63: dic sodes, melior lex an puerorum est *Nenia*, et Sat. I, 9, 2: Nescio quid meditans *nugarum*, totus in illis. Idem ad v. 9: Quanquam sit *serum*: sine necessitate confert Sat. I, 10, 21: O *seri* studiorum; nam talia si volumus commemorare, innumera-bilia sunt sine ulla utilitate comparanda, ut *temnens* v. 3 et *sanum* ibidem, in quo versu pro verbo *cogitans* ex Horat. Sat. I, 9, 2 videtur restituendum *meditans*; sed *Tu* tamen et ipse talia notasti, ut suis locis dicam. V. 13:

** Sæpe caput scabitur, vivus conroditur unguis,
Tunditur atque stilus cet.

Horat. Sat. I, 10, 71: Sæpe caput scaberet vivos et roderet unguis. Sæpe stilum vertas cet. V. 16:

** Hic sua devitat, dum *pulchra poemata* cantat.

Horat. Sat. I, 10, 6: Et *Laberi mimos*, ut *pulchra poemata*, mirer. Vs. 20 sq.:

Consuescunt multi, quamquam sunt carmine docti,
Longos accentus per *miros vertere flexus*.

Sat. difficilia hæc verba lucis aliquantum habebunt, si, quæ fortasse ante oculos fuerunt *Malcho*, hæc comparaveris *Ausonii* in idylliis verba, quibus 4, 47 sqq. nepotem de studio puerili sic admonet:

Tu *flexu* et acumine vocis
Innumeros numeros *doctis accentibus effer*
Affectusque impone legens.

** v. 22: Nam pede composito certans insistere metro,

Horat. Sat. I, 10, 1: Nempe *incomposito dixi pede currere versus* Lucili. — V. 25:

Rectius hoc faciam, linguam si pressero blæsam,

Horat. Sat. I, 4, 134 sq.: *Rectius hoc est: Hoc faciens vivam melius: sic dulcis amicis Occurram: hoc quidam non belle: numquid ego illi Imprudens olim faciam simile?* — V. 28:

** Quo pede pervolitent vel quæ sibi carmina dicent,

Horat. Sat. I, 10, 75: *Vilibus in ludis dictari carmina malis. Idem Heidbreedius ad versum 31: Increpat indoctum de coelis scribere versum: adhibet sine magna utilitate Horat. Sat. I, 10, 32 & 61, quibus locis paulo aptiores poterant comparari et ex aliis poetis et ipso Horatio.*

vs. 33: *Territus hisce minis meditor desistere coeptis,*

Cato distich. I, 9, 2: *Si tibi sit carus, noli desistere coeptis.*

vs. 44: *Una re quemcunque suam consumere curam,*

Horat. Sat. 2, 4, 48: *Necquaquam satis in re una consumere curam.*

vs. 60: *Flebilibusque vagas contingens vocibus auras,*

Sumpsit hunc versum Malchus ex *Sedulii Presbyteri* carm. libro 4, *de duobus cæcis poscentibus a Domino illuminari* Matth. 9, v. 4. p. 670. a T. VIII Magnæ Bibliothecæ veterum patrum cet. Paris. Aegid. Morell. 1644 fol.: *Flebilibusque vagas implentes vocibus auras.*

vs. 82: *Erigit ad coelum facies atque invocat Jesum.*

Mutuatus est hunc versum, qui postrema voce adversus numerorum leges videtur peccare, ex *Aurelio Prudentio*, ex quo plurima eum hæsisse videbimus, et ex *Apotheosis* quidem ea particula, quæ est *adversus Judæos* p. 164 edit. Amsterod. ap. Guil. Janss. Cæsium a. 1625. 12. De illa autem vocis *Jesus* mensura notandum est illud, *Prudentium* semper sic eam metiri, ut duabus syllabis spondeum vel trochæum neque unquam positionem faciat, quasi sit *Jsus*, quum apud *Juvenum* semper amphibrachum vel bacchium reddat, apud alios, ut *Sedulium*, *Aratorem*, *Victorem*, et hoc et similia, ut *Joseph*, *Jonas*, *Jerusalem*, *Jericho*, *Jeremias*, *Jesaias*, *Judæus*, *Job*, liberiore lege fruantur atque etiam consonam habeant initialem.

** vs. 87: *Cumque negatur iter, distentum tollitur uber,*

Horat. Epod. 2, 46: *Distenta siccet ubera.*

vss. 92 sqq.: *Concessa est pecori libertas laxior illi,
Scandere seu lævo malit seu tramite dextro,
Sumere seu requiem seu continuare laborem.*

Sunt hæc ex *Prudentii contra Symmachum* libro 1 p. 216 edit. Amsterod., ubi sic leguntur: *Libertas laxior ipsi Concessa est homini, formam cui flectere vitæ Atque voluntatis licitum est, seu tramite dextro Scandere, seu lævo malit decurrere campo, Sumere seu requiem, seu continare laborem.* — Vs. 103:

Qui peccare valet, valet et succumbere poenæ,

hunc versum sine ulla mutatione transcripsit Malchus ex Prudentii Apotheos. de natura animæ p. 173 Amsterod.

vs. 104: Moxque cavernosos jussus penetrare recessus,

est ex Prudentii Hamartigenia p. 186 Amsterod.: Perque *cavernosos* jussit *penetrare* meatus.

** vss. 114 sq.: Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et pingue pecus nobis fabricaverat usus,

Horat. Sat. I, 3, 99 sqq.: *Cum prorepserunt primis animalia terris, Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter Unguibus et pugnīs, dein fustibus, atque ita porro Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus.*

** vs. 116: Ordinis est virtus, placetur sanguine divus,

Horat. A. P. 41: *Ordinis hæc virtus erit, & Sat. 2, 3, 206: prudens placavi sanguine divos.*

** vss. 117 sq.: Incipit hæc vitulus singultim, pauca locutus,
Infans namque pudor prohibebat plura profari,

Horat. Sat. 1, 6, 56 sq.: *singultim pauca locutus, Infans namque pudor prohibebat plura profari.*

* vs. 119: Jupiter, ingentes qui das adimisque labores,

Horat. Sat. 2, 3, 288: *Jupiter ingentis qui das adimisque dolores.*

* vs. 120: Peccatis noctem, quin fraudibus obice nubem,

Horat. Epist. 1, 16, 62: *Noctem peccatis et fraudibus obijce nubem.*

vs. 122: Hisce pro meritis dabitur caper omnibus aris,

Prudentius c. Symmach. 1. p. 212 Amst.: *His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris, et post c. Symm. libr. 2. p. 244 Amst. est: his ego pro meritis cet.*

* vs. 123: Jam dudum ausculto, sed dicere plura retardo,

Horat. Sat. 2, 7, 1 sq.: *Jam dudum ausculto, et cupiens tibi dicere servus Pauca reformido.*

* vs. 124: Imberbis juvenis est ex Horat. A. P. 161.

** vs. 125: Peccatum fateor est ex Horat. Sat. 2, 4, 4.

** vs. 130: Non facias longum, magnorum maxime regum,

Horat. Sat. 1, 3, 137: *Ne longum faciam, et 2, 1, 57: Ne longum faciam, et Sat. 2, 3, 190: maxime regum. Sed minus hunc locum imitatus est Malchus, quam 1, 3, 136 sq.: Magnorum maxime regum. Ne longum faciam.*

** vs. 135: Tum dominus caveæ 'misere cupis' inquit, abire,

Horat. Sat. 1, 9, 14: *Misere cupis, inquit, abire.*

** vs. 137: Illud adhuc jubeo, temet servare memento,

Horat. Sat. 2, 5, 70: *Illud ad hæc jubeo, et Carm. 2, 2, 1 sq.: Aequam memento rebus in arduis Servare mentem.*

vs. 139: *Quid socium simulas, et amica fraude salutas,*
hunc versum ne literula quidem mutata accepit Malchus a Sedulio libr. 5, *invectio in Judam,*
quod dux et signifer armatorum signo tradidit, p. 674.

** vs. 141: *Nec poscas vario multum diversa palato,*
Horat. Epist. 2, 2, 62: *Poscentes vario multum diversa palato.*

* vs. 142: *Quaecunque immundis fervent allata popinis,*
prorsus eadem sunt verba apud Horatium Sat. 2, 4, 62.

** vs. 143: *Quæ, nisi divitibus, nequeunt contingere mensis,*
prorsus eadem, nisi quod illic *nequeant* est, sunt apud Horat. S. 2, 4, 87.

** vs. 144: *Sed potius foliis parcus vescaris acerbis,*
Horat. Sat. 2, 3, 114: *Ac potius foliis parcus vescatur amaris.*

** vs. 146: *Sunt mihi lactucæ, radices, semina silvæ,*
Horat. Sat. 2, 8, 8: *Rapula, lactucæ, radices, qualia lassarum cet.*

** vs. 147: *Sanior est multum cerebro, qui potat acetum,*
Horat. Sat. 2, 3, 75: *Putidius multo cerebrum est cet., et ibidem vs. 117: acre potet acetum.*

vs. 148: *Ex vitio cerebri frenesis furiosa movetur,*
ad verbum sic est apud *Serenum Samonicum* de medicina vs. 90, et apud Prudentium in *Hamar-*
tig. p. 182 ed. Amst. est: *Immo hæc attoniti phrenesis manifesta cerebri;* atque in Prudentio
sane et Malcho ferendum est, quod apud Juvenalem non fertur 14, 136. Nec dubitari posse vide-
tur de Sereno. In Prudentii æqualiumque vel recentiorum etiam poetarum libris sat magna est
græcorum nominum mensuræ licentia, leguntur istic vix credibilia, ut *idola*, quod dactylum, *idea*,
quod palimbacchium, *ecclesia*, quod pæonem primum facit, et similia permulta, ut omnis dubitatio
tollatur, quum ab ejusmodi libertate ne Ausonius quidem, poëta alias sat doctus et diligens,
alienus sit.

** vs. 149: *Stringeris melius, si fluxa cucurrerit alvus,*
Horat. Sat. 2, 4, 27: *Prolueris melius, si dura morabitur alvus.*

** vs. 154: *Victima Plutonis sterneris, nil miserearis,*
Horat. Carm. 2, 3, 24: *an pauper et infima de gente sub divo moreris, Victima nil miserantis*
Orci, ex quo loco recte Heidbreedius pro insulso illo: misereare:, quod nescio an ex verbo, quod
præcedit, moreris confusum dicam, restituit: miserantis.

* vs. 155: *Dum licet, in rebus jocundis vive beatus,*
est hic versus ex Horatii Sat. 2, 6, 96.

* vs. 156: Ille cubans gaudet, praelambens omne, quod affert,

Horat. Sat. 2, 6, 110: *Ille cubans gaudet* mutata sorte, et ibidem v. 109: *praelibans omne, quod affert.*

vss. 157 sqq.: Quid durum, quid molle foret, quid lene, quid horrens,
Quid calidum gelidum, dominorum quid famulorum,

Prudent. Hamartig. p. 186 Amst.: *Quid durum, quid molle foret, quid lene, quid horrens, Quid calidum gelidumve,* deus cognoscere nosmet Ad tactum voluit palpandi interprete sensu.

* vs. 159: Continuansque dapes succinctus cursitat hospes,

Horat. Sat. 2, 6, 107 sq.: *veluti succinctus cursitat hospes Continuatque dapes.*

* vs. 160: Fungitur officiis nec non verniliter ipsis,

Horat. Sat. 2, 6, 108 sq.: *nec non verniliter ipsis Fungitur officiis.*

* vss. 161 sq.: Multaque de magna creverunt fragmina coena,
Quae procul instructis inculcat habenda canistris,

Horat. Sat. 2, 6, 104 sq.: *Multaque de magna superessent fercula coena, Quae procul extractis inerant hesterna canistris.*

** vs. 163: Jam nox per medium gaudebat currere coelum,

Horat. Sat. 2, 6, 100 sq.: *Jamque tenebat Nox medium coeli spatium.*

* vs. 176: Rugosum piper ac costus lentumque papaver,

Rugosum piper Tu, Grimmi celeberrime, ex Persio sat. 5, 55 (non 3, 55) esse ais, costum vero ex Lucano 9, 917 (non 915), non minore vero jure Heidbreedius de costo Horatium ascripsit Carm. 3, 1, 44.

* vs. 178: Molles castaneas domnis coenantibus aptas,

Molles castaneas Tibi ex Venantio Fortunato 11, 12, p. 271 edit. mogunt: ductas videri ais. Prius dixit Virgil. Bucol. 1, 82.

** vs. 182: Septimus octavo propior jam praeterit annus,

Horat. Sat. 2, 6, 40: *Septimus octavo propior jam fugerit annus.*

** vs. 183: Ex quo cum pomis, cum piscibus urbe petitis,

Horat. Sat. 2, 2, 120: *non piscibus urbe petitis.*

vs. 184: Mensas ornavi, convivas ipse refeci,

Horat. Sat. 2, 2, 122: *et nux ornabat mensas.*

* vs. 186: Omnia distractis coemens obsonia gazis,

Horat. Sat. 1, 2, 9: *Omnia conductis coemens obsonia nummis.*

vs. 196: Me tenet hujus amor, legirupis ipse vocabor,

Adjectivum *legirupis* defendis *Tu* sane alio ejusdem seculi carmine allato, nec nego prorsus, sed nescio tamen an *legirupus* restituendum dicam illudque ex Prudent. Hamartig. p. 183 Amst.: *legirupis* quassantia viribus orbem, huc irrepsisse.

** vs. 200: *Hic fossa est ingens, hinc rupes maxima pendens,*

Horat. Sat. 2, 3, 59: *Hic fossa est ingens, hic rupes maxima, serva.*

vs. 205: *Hoc sequar, hoc fixo conceptum corde tenebo,*

Prudent. Hamartig. p. 259 edit. Antverpiae ex officina Christophori Plantini 1564. 8: *Hoc sequar, hoc stabili conceptum mente tenebo.*

* vs. 207: *Nec studio citharæ, nec musæ deditus ulli,*

est ex Horat. Sat. 2, 3, 105. Versum 209: *Romam, res lætas et prospera quæque retexens, Tu, Grimmi optime, cum Heidbreedio* ex Horat. Sat. 2, 3, 2: *Scriptorum quæque relexens: ductum ais. Sed aliter, opinor, Tibi videbitur, si Prudentium legeris contra Symmachum libro II. p. 239 Amsterod.: dicis domitum terraque marique Orbem, res lætas et prospera quæque relexis. Quamquam non omnino potest negari, ipsi Prudentio fortasse obscuram illius loci Horatiani recordationem fuisse. Sed Prudentius Horatium rariuscule, frequentius multo Juvenalem imitatur.*

vss. 210 sq.: *Mille triumphorum memorans ex ordine pompas
Ductaque per mediam spoliolorum fercula Romam.*

Hos versus, quos *Heidbreedius* ex Ovidii *Metamorph. 1, 561: cum læta triumphum Vox canet et longas visent Capitolia pompas: petitos arbitrabatur, hausit Malchus* ex Prudentio c. Symm. 2. p. 239 ed. Amst., ubi nihil est diversitatis, nisi quod *memoras* est, non *memorans*.

vs. 212: *Omnibus ex terris, quas undique continet orbis,*

Prudent. c. Symm. 2. p. 240 Amst. *Omnibus in terris, quas continet occidualis Oceanus cet.*

* vs. 214: *Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto,*

est ex Horat. Sat. 2, 5, 83 (non 81) sine ulla mutatione.

* vs. 217: *Pellito nunc vino, nunc curam solvito somno,*

Horat. Carm. 1, 7, 31: *nunc vino pellite curas. Præterea Heidbreedius comparat. Sat. 2, 7, 114: Jam vino quærens, jam somno fallere curam.*

* vs. 218: *Fortiaque adversis opponito pectora rebus,*

Horat. Sat. 2, 2, 136: *Fortiaque adversis opponite pectora rebus.*

* vs. 219: *Grata superveniet, quæ non sperabitur, hora,* est ex Horat. Epist. 1, 4, 14.

* vs. 227: *Post noctem mediam, quando sunt somnia vera.*

Horat. Sat. 1, 10, 33: *Post mediam noctem visus, quum somnia vera. Ad versum 248: Infelix vitulus non grata compede vinctus: comparat Heidbreedius Horat. Carm. 1, 33, 14: grata detinuit*

compede Myrtale, et aptius etiam 4, 11, 24: tenetque *grata Compede vinctum*. Non minus recte idem in versu 250: Quid dabis ergo bonis? sic stat sententia somni, pro *bonis* emendat *boni*, quod vel per alliterationis et vocalitatis legem, quam sequitur Malchus, de qua post dicam, est necessarium.

vs. 267: Indumenta novis texebat plumea telis,

Prudent. Hamartig. p. 186 Amst.: *Indumenta novis texentem plumea telis.*

** vs. 269: Quod petiit, feci, nam vix promissa replevi,

Horat. Epist. 1, 1, 98: *Quod petiit*, spernit cet. et 2, 1, 100: *Quod petiit* cupide, mature plena reliquit.

vs. 273: Hanc tege pigmentis redolentibus et sale pauco,

Prudent. Hamart. p. 186 Amst.: *Illum pigmentis redolentibus* et peregrino Pulvere cet.

vs. 282: Nec possum teneram telluri affigere plantam,

Prudent. c. Symm. 2. p. 250 Amst.: *Nec potis est tenuem telluri affigere* fibram.

vs. 283: Sic periit, solitum dum non habet arida pastum,

est ex Prudent. Apotheos. de nat. anim. p. 174 Amst. sine ulla mutatione.

vs. 284: Sint hæc barbaricis mandenda legumina Francis,

Prudent. c. Symm. 1. p. 219 Amst.: *Sint hæc barbaricis gentilia numina* pagis.

vs. 285: Sic erit nullus honos, potior mihi pristinus est mos,

Pro erit sine dubio est scribendum; posterior versus particula est ex Prudent. c. Symm. 2 p. 232 Amst.

vs. 286: Hunc morem repetam, ad mea prisca recurram.

Utrum *Heidbreedius* eum pedem, qui huic versui ad plenam mensuram deest, recte suffecerit an secus vocabulo: *studia*: post *repetam* interposito, sat dubium videbitur, si Prudentium comparerimus, qui c. Symm. libro 2. p. p. 232 Amst. sic scribit: iterumque ferinos In mores redeant atque ad sua prisca recurrant.

vs. 289: Inde traham sucum crassoque humore salutem,

Prudent. Apotheos. contra Homuncionitas p. 168 Amst.: *Inde trahit sucum lentoque humore salutem.*

vs. 291: Blandus corde sapor, fragrans odor, apta voluptas,

Prudent. Apotheos. contra Judæos p. 162 Amst.: *Blandus in ore sapor, fragrans odor, irriguus fons, Castus amor, pulchra species, sincera voluptas.*

vs. 293: Ah, perversa vigent, legalia jura fatiscunt,

Prudent. Hamart. p. 186 Amst.: *Perversum jus omne viget.*

vs. 295: Non patiar teneas veteres, ut me duce negas,

Sine sensu est nec numero constat: *negas*.; recte est apud Prudentium, cujus hic versus est, c. Symm. 1. p. 218 Amst.: *Non patiar veteres teneas ut me duce nugas.*

vs. 296: Si sapis hæc tacito consumes verba palato,

Hunc versum *Heidbreedius* ad marginem ascripsit sibi ex Persio videri sumptum. Qua in re erravit. Nam si, quod verosimile est, his credidit reddi Persianum illud 1, 35: et tenero supplantat *verba palato*, aptius multo et ad verborum et ad sententiae rationem Tibullianum illud IV. 8: *Qui sapis, in tacito* gaudeat ille sinu, videtur comparari posse. Sed Malchus Prudentium suum, non Persium nec Tibullum, ante oculos habuit, qui in Apotheosi adversus Phantasmaticos p. 175 Amst. sic loquitur: *lacero consumens verba palato.*

vs. 297: Utere sorte tua, doctus pietate paterna,

Heidbreedius comparavit Horat. Epod. 14, 15: *gaude sorte tua.* Sed hoc quoque ex Prudentio potius est, qui in Apoth. c. Homuncionitas p. 170 Amst. prorsus eodem modo loquitur: *Utere sorte tua.*

** vs. 303: Non præter solitum cogor dissolvere luctum,

Horat. Carm. 1, 6, 20: *Non præter solitum leves.*

** vs. 314: Dicenda tacenda locutus est ex Horat. Epist. 1, 7, 72.

vs. 317: Sic natura parens jussit discurrere soles,

Lucan. Pharsal. 10, 238: *Sic jussit natura parens discurrere Nilum.*

vs. 321: Sincerum nisi vas, quodcunque infundis, acescit,

Horat. Epist. 1, 2, 54: *Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.*

** vs. 333: Ille sagitta doctus erat gravidaque faretra,

Horat. Carm. 1, 22, 4: *gravida sagittis, Fusce, pharetra.*

In versu 343: Suscipitur sermo, quem dixerat barbarus hospes: recte *Heidbreedius* pro *dixerat* reposuit *dixit.*

vs. 344: Et prædocta canis ceu fertur odora canum vis,

Virgil. Aen. 4, 132: *et odora canum vis.*

** vs. 347: Tunc equitum turmæ certant peditumque catervæ,

Horat. Epist. 2, 1, 190: *Dum fugiunt equitum turmæ peditumque catervæ,*

** vs. 348: Ne numero plures, virtute et honore minores,

Horat. Epist. 2, 1, 183: *Quod numero plures, virtute et honore minores.*

vs. 349: Indocti stolidi simul impugnare parati,

Ad hunc versum *Heidbreedius* adhibuit Horat. Epist. 2, 1, 117: *Scribimus indocti doctique poemata passim. Est autem ejusdem epistolæ versus 181: Indocti stolidique et depugnare parati.*

** vss. 350 sq.: *Viribus editior, collecta tum grege major,
Irritat, mulcet taurus, mugitibus implet,*

Horat. Sat. 1, 3, 110: *Viribus editior cædebat, ut in grege taurus.*

** vs. 353: *Exillit ille lupus somno vinoque sepultus,*

Virgil. Aen. 2, 265: *Invadunt urbem somno vinoque sepultam.*

** vs. 365: *Nam neque calce lupus neque quemquam dente petit bos,*

Horat. Sat. 2, 1, 55: *Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos.*

** vs. 369: *Non patet ascensus, nec scandit ridiculus mus,*

Horat. A. P. 139; *nascetur ridiculus mus.*

versu 378: *Non simus injusti cet.*

recte *Heidbreedius* restituit: *sumus.*

** vs. 391: *Discere percipimus celatum quod latet ulcus,*

Horat. Epist. 1, 16, 24: *Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.*

** vs. 399: *Quod prosit capiti, cruri, ventrique pedique,*

Horat. Epist. 1, 12, 5: *Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis.*

vs. 427: *Sum memor ipse mei, satis et mea frivola novi,
est ex Prudent. c. Symm. 1. p. 223 Amst.*

vs. 434: *Non tamen indecorem sua se regina reliquit,*

Virgil. Aen. 11, 845: *Non tamen indecorem tua te regina reliquit.*

** vs. 440: *Belua multorum capitum visis moribundum,*

Horat. Epist. 1, 1, 76: *Belua multorum es capitum.*

** vs. 448: *Cara soror vulpes, quænam nova tristibus affers,*

Virgil. Aen. 4, 9 sq.: *Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent! Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?*

** vs. 472: *Quicquid sub terra est, in apricum proferet ætas,*

Horat. Epist. 1, 6, 24: *prorsus iisdem verbis.*

** vs. 473: *Singula de nobis anni perdentur euntes,*

Corrigendus hic versus ex Horatio, cujus est, Epist. 2, 2, 55: *Singula de nobis anni prædantur euntes.*

** vs. 474: *Jam tempestivi funduntur vertice cani,*

Boethii de consol. philos. 1 metr. 1. vs. 11: *Intempestivi funduntur vertice cani.*

- ** vs. 475: Auribus ecce meis inolevit pluma senilis,
Horat. Carm. 4, 10, 2: Insuperata tuæ cum veniet *pluma* superbiæ.
- ** vs. 476: Aspera jam pellis insedit cruribus istis,
Horat. Carm. 2, 20, 9: Jamjam *residunt cruribus asperæ Pelles* cet.
- ** vs. 477: Nocte dieque gravi franguntur crura dolore,
Horat. Epist. 1, 17, 59: curat *Fracto crure* planum.
- ** vs. 478: Non cursu superabo canem nec viribus aprum,
Horat. Epist. 1, 18, 51: Vel *cursu superare canem* vel *viribus aprum*.
- In versu 481: Prope salute tui peragravi climata mundi:
pro *prope* legendum est *proque*.
- ** vs. 482: -Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
est prorsus ex Horat. A. P. 151.
- * vs. 483: Primo ne medium, medio ne discrepet imum,
Horat. A. P. vs. 152.
- ** vs. 492: Tempore sic pacis fuerat mos regibus illis,
Horat. Sat. 1, 2, 86: *Regibus hic mos est*.
- ** vs. 504: Per calidum vellus spargetur morbus acutus,
Horat. Sat. 2, 3, 163: Quod latus aut *renes morbo* tentantur *acuto*.
- ** vs. 505: Nil mihi tam bellum, carum, quam vivere sanum.
Horat. Epist. 1, 7, 3: Si me *vivere vis sanum*.
- ** vs. 506: Flentibus hic paucis discedit moestus amicis.
Horat. Sat. 1, 5, 93: *Flentibus hic Varius discedit moestus amicis*.
- ** vs. 515: Quam temere in vosmet legem sancitis iniquam,
Horat. Sat. 1, 3, 67: *Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam*.
- ** vs. 516: Si volumus genti, si nobis vivere cari,
Horat. Epist. 1, 3, 29: *Si patriæ volumus, si nobis vivere cari*.
- * vs. 517: Dum licet, ac vultum servat fortuna benignum.
est ex Horat. Epist. 1, 11, 20.
- vs. 519: Indigni quocunque sumus dirumpere foedus,
Horat. Epist. 1, 3, 35: *ubicunque* locorum Vivitis, *indigni* fraternum *rumpere foedus*.

** vs. 520 sq.: Hæc res conservat junctos et jungit amicos.
At vos virtutes ipsas invertitis omnes,

Horat. Sat. 1, 3, 54 sq.: *Hæc res et jungit junctos et servat amicos. At nos virtutes ipsas invertimus atque cet.*

vs. 528: Hic subit et perfert, quod quisque viriliter horret,

Horat. Epist. 1, 17, 38 sqq.: Quid? qui pervenit, fecitne *viriliter*? atqui Hic est aut nusquam, quod quærimus, hic onus *horret*, Ut parvis animis et parvo corpore majus: *Hic subit et perfert.*

vs. 530: Verum nil sceleris faciat pia dextera regis,

Horat. Sat. 2, 1, 54: *nil faciet sceleris pia dextera.*

In versu 535: Obsecro clementer mihimet mitescere regem:

Heidbreedius recte et propter sententiæ veritatem et secundum eam, quam ad versum 250 significavi, vocalitatis legem adverbium *clementer* mutari jussit in adjectivum *clementem*. *Mitescere* autem Malchus videtur hausisse ex Horat. Epist. 1, 1, 39: Nemo adeo ferus est, ut non *mitescere* possit.

In versu 539: Esurit ægrotus languore fameque gravatur:

recte *Heidbreedius* reposuit: *gravatus*.

** vs. 540: Languidus in cubitum jam se conviva reponat,

est ex Horat. Sat. 2, 4, 39, nisi quod illic futurum est *reponet*.

* vs. 548: Dulce saporatis oneretur discus herilis,

hunc versum ex Venantio Fortunato 9, 3. p. 222 ed. mogunt. verba *dulce saporatis* hausisse conjicis.

** vs. 553: Nec quisquam noceat cupido mihi pacis, et ultra,

Horat. Sat. 2, 1, 44: *Nec quisquam noceat cupido mihi pacis!* at ille.

** vs. 554: De grege conventus non sit, qui calcitret ullus,

Horat. Sat. 2, 1, 20: *recalcitret* undique tutus.

** vs. 555: Qui te commovit, melius non tangere scibit,

Horat. Sat. 2, 1, 45: *Qui me commorit*, (melius non tangere clamo), *Flebit*, et insignis tota cantabitur urbe, quem posteriorem versum debebat *Heidbreedius* componere cum versu 556 Malchi: *Verbere contorto toto torquebitur antro*. Ceterum notandum est: *scibit*. Sic v. 457 videtur pro *scies* reponendum esse *scibis*. Supra 249 est *exiet*.

Versu 563: Tunc tremefacta cohors complet, quod jusserat herus,

recte emendat *Heidbreedius*: *heros*: propter versus rationes. Idem *ciniflones*, quorum versu 567 fit mentio, ex Horatio Sat. 1, 2, 98 sumptos esse vidit.

vs. 591: *Membra sub adversa ponat languentia quercu,*

Virgil. Aen. 8, 616: *Arma sub adversa posuit radiantia quercu.* *Heidbreedius* ascripsit Horat. Carm. 1, 1, 21: *nunc viridi membra sub arbuto stratus.*

vss. 593 sqq.: *Quas habet hæc horti species et amoena venustas,
Quas lambit nitidi circumflua copia fontis,
Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
Nascitur, aut primæ violatur origine venæ.
At nos delicias plumarum et linea tecta
Sternimus atque cutem fulcro tenuante polimus.
Audiet et liricæ modulamina celsa puellæ.*

Horum, quos sic integro ordine descripsi, versuum quatuor priores (593—96) p. 318 *Tu, Grimmi*, nunc negas docere *Te*, unde sit mutuatus Malchus. Videris ergo scivisse, esse eos ex Prudentio sumptos. Quapropter miror, de ceteris *Te* nihil quicquam dixisse. Sunt autem, ut dixi, ex Prudentio, nec vero eodem, quo hic apud Malchum, apud illum ordine scripti. Sed ille: *Quas habet hæc horti species et amoena venustas: cum eo, qui post est, sic est apud Prudentium Hamartig. p. 187 ed. Amstærod.: Quem locuples mundi species et amoena venustas, Et nitidis fallens circumflua copia rebus cet.* Tertius vero cum quarto ibidem est, sed paulo infra, sic: *Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor Nascitur, aut primæ violatur origine venæ.* Sed dum viventis liquor incorruptus harenas *Prælambit* cet. Quintus autem et sextus in eadem pagina, sed paulo ante illos, sic leguntur: *At nos delicias plumarum et linea tecta* (id apud Malchum quoque est scribendum) *Sternimus atque cutem fulcro attenuante polimus.* Postremus denique ibidem est sed p. 186 sic: num propter *lyricæ modulamina vana puellæ.*

* vs. 616: *Tu quamcunque deus tibi fortunaverit horam*
est ex Horat. Epist. 1, 11, 22.

** vs. 617: *Ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta,*
est ex Horat. Epist. 1, 6, 55.

** vs. 618: *Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes*
est ex Horat. A. P. 313.

* vs. 619: *Rusticus urbano, quid distet, turpis honesto,*
Horat. A. P. 213: *Rusticus urbano confusus, turpis honesto.*

** vs. 621: *Nec potiore cibo pavit quis tempore tanto,*
Horat. Epist. 1, 5, 27: *et nisi coena prior potiorque puella.*

* vs. 626: *Uncta satis spisso ponentur oluscula lardo,*
Horat. Sat. 2, 6, 64: *Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo.*

** vs. 627: Nec satis est, cara, pisces avertere mensa,

Horat. Sat. 2, 4, 37: *Nec satis est cara piscis averrere mensa.*

** vs. 628: Semesos pisces, quos Indus liquerat hospes,

Horat. Sat. 1, 3, 81: *Semosos piscis cet.*

* vs. 631: Jejunos raro stomachus vulgaria temnit,

Horat. Sat. 2, 2, 38.

** vs. 632: Causa namque tui rorentur munera Bacchi,

Horat. Carm. 1, 18, 17: *Ac ne quis modici transsiliat munera Liberi.*

vs. 636: *Currite vos citius, sic rex jubet iste secundus,*

Unicus is est locus, quo Malchus Juvenalem imitatus esse videri possit 4, 76: *Currite, jam sedit. Nec tamen dixerim.*

** vs. 646: Escis cum reliquis, nigris sollertia barris,

Horat. Epod. 12, 1: *Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris.*

** vs. 648: Dente timendus aper, turbatis viribus acer,

Horat. Carm. 3, 20, 10: *hæc dentis acuit timendos cet.*

* vs. 655: Tincta super lectos candescat vestis eburnos,

Horat. Sat. 2, 6, 103: *Tincta super lectos canderet vestis eburnos.*

vs. 661: *Quis tibi vel qualis? magni sum gente Catonis,*

Lactantius Symposio n. 83 de perna: Nobile duco genus magni de gente Catonis.

Ad versum 662: *Ex atavis longo si ducis stemmata filo:*

Heidbreedius comparavit Horat. Carm. 1, 1, 1: Mæcenas atavis edite regibus. Sed nescio an magis apposite Juvenalem comparare liceat 8, 1 sq.: Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo Sanguine censeri cet., nam post illum est apud Malchum hic: Disces me natum magnorum sanguine regum. Ut ergo hic quoque Malchus Juvenalis memor fuerit.

In versu 668: *Hinc vivam reliquo despectior ipse popello:*

popellum Tu ex Horatio Epist. 1, 7, 65 sumptum ais, eamque vocem etiam apud Ermoldum Niggellum legi (Perz 2, 506).

* vs. 695: *I puer atque meæ citus hunc impone coquinæ,*

Horat. 1, 10, 92: *I puer atque meo citus hæc subscribe libello.*

vs. 698: *Quo deus et quo dura vocat fortuna, sequamur,*

Virgil. Aen. 5, 22 sq.: *Superat quoniam fortuna, sequamur, Quoque vocat, vertamus iter*

Versum 700: Argumentum ingens testis sententia prodit:

nunc *Te* nolle dicere ais, unde hauserit Malchus. Quid *Tu* ergo ipse statuas nescio. Sed mihi videtur ex duobus Prudentii confiat. Is enim in Hamartigenia p. 194 Amst. sic habet: *Argumentum ingens*, dominum, qui talia praestet (quae verba a Virgilio potest mutuatus esse Aen. 7, 791) ibidemque p. 191: *Oris apostolici testis sententia prodit*.

* vs. 712: Impedior lacrimis prorumpere nomen amantis,

Hunc versum *Tu* ex Venantio Fortunato esse dicis 4, 18 edit. mogunt. p. 106. Ego legi apud Sedulium libr. 5. de sacrilegio cet. Matth. 27. Marc. 15. Joann. 18.: Heu mihi, quantis *Impedior lacrimis* rabidum memorare tumultum.

** vs. 714: Non est perjurus neque sordidus ac furiosus,

Horat. Sat. 2, 3, 164: *Non est perjurus neque sordidus* immolet aequis cet.

** vs. 715: Comis et urbanus, animo pius, ore serenus,

Horat. Sat. 1, 4, 90: Hic tibi *comis et urbanus* liberque videtur, et 1, 10, 65: fuerit Lucilius, inquam, *Comis et urbanus* cet.

** vs. 719: Fiat velle tuum, simplex dumtaxat et unum,

Horat. A. P. 23: Denique sit quidvis, *simplex dumtaxat et unum*. Ceterum: *velle tuum*, de quo tanquam recentioris temporis signo disseris *Tu* p. 325, non tantum cadentis est latinitatis, ut legitur inter alia apud Prudentium c. Symm. p. 137 Amst.: Alterutrum quia *velle suum est*, sed argenteae etiam atque aureae adeo, neque poetarum solorum sed etiam prosae. Uno exemplo, sed eo aptissimo, re defungor ex Persio, 5, 53: *Velle suum* cuique est, nec voto vivitur uno, ex cujus prima quoque satira versus 27 comparari potest: usque adeone *Scire tuum* nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

** vs. 717: Novit quid pulchrum, quid turpe, quid utile, falsum,

Horat. Epist. 1, 2, 3: *Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non* cet.

** vs. 720: Sit fixum, quod vis, sit vivax gratia nobis.

Horat. A. P. 69: *Nedum sermonum stet honos et gratia vivax*.

* vs. 721: Dum lupus infestus pecori, venantibus apri,

Horat. Epod. 15, 7: *Dum pecori lupus et nautis infestus* Orion cet.

** vss. 722 sq.: *Frigida dum pugnant calidis, humentia siccis,*
Dum nova crescendo reparabit cornua Phoebe,

Sunt hi versus ex Ovidii Metamorph., et prior quidem 1, 19: *Frigida pugnant calidis, humentia siccis*, alter 1, 11: *Nec nova crescendo reparabat cornua Phoebe*.

vs. 725: Sic ait, et mediis interserit oscula labris,

Ovid. Met. 10, 559: *Sic ait ac mediis interserit oscula labris*.

** vs. 728: Egregie factum laudat vulpecula totum,

Horat. Sat. 2, 5, 106: Funus *Egregie factum* laudet vicinia.

** vs. 729: Hora est surgendi, tua sunt quasi regia Croesi,

Horat. Epist. 1, 11, 2: Quid concinna Samos? quid *Croesi regia* Sardis.

** vs. 730: Ad mensam vado, perfortia vina requiro,

Horat. Epist. 1, 15, 18: *Ad mare cum veni, generosum et lene requiro* (vinum).

** vs. 731: Quinquennis vini sitis est citra mare nati,

Horat. Sat. 2, 8, 47: *Vino quinquenni, verum citra mare nato.*

** vs. 736: Quod curas abigit, quod linguæ verba ministrat,

Horat. Epist. 1, 15, 19 sq.: *Quod curas abigat, quod cum spe divite manet* In venas animumque meum, *quod verba ministret.*

vs. 737: Morbos avertit, metuenda pericula pellit,

Horat. Epist. 2, 1, 136: *Avertit morbos, metuenda pericula pellit.*

* vs. 738: Treverici calices quos non fecere loquaces,

Horat. Epist. 1, 5, 19: Fecundi *calices* quem *non fecere* disertum.

vs. 744: Furcifer ecce jacet, non sit, qui tollere curet,

Horat. A. P. 460: Clamet, io cives, *non sit, qui tollere curet.*

** vs. 745: Hanc meruit poenam, vitasti denique culpam,

Horat. A. P. 267 sq.: *vitavi denique culpam, Non laudem merui.*

Ad versum 760: Quid prosit, quærit, quid delectabile poscit;

confert *Heidbreedius* Horat. A. P. 333: *Aut prodesse volunt aut delectare poetæ.*

* vs. 761: Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo,

est ex Horat. A. P. 476.

** vs. 765: Regis præfectus regno scriberis secundus,

Horat. Sat. 2, 5, 48: Arrepe officiosus, ut et *scribare secundus* Heres, unde recte *Heidbreedius* illic scripsit *scribere.*

** vs. 768: Sic David cecinit, perraro hæc alea fallit,

Horat. Sat. 2, 5, 50: In vacuum venias. *perraro hæc alea fallit.*

* vs. 776: O qui complexus et gaudia quanta fuerunt,

Horat. Sat. 1, 5, 43.

** vs. 778: Ducitur impransi susceptus laude magistri,

Horat. 2, 3, 257: Postquam est impransi correptus voce magistri.

** vs. 783: Imperitat geminare cibos, ut regius est mos,

Horat. Sat. 1, 6, 60: respondes, ut tuus est mos, Pauca.

** vs. 793: Potio talis adest, quæ versu dicere non est,

Horat. Sat. 1, 5, 87: Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est. Sed, nisi Malchum latine nescivisse credamus, corrigendum est: quam.

** vs. 807: Singula quid memorem, superent cum singula laudem,

Horat. Sat. 1, 8, 40: Singula quid memorem? cet.

vs. 822: Det vitam, det opes, somnos pastusque salubres,

Horat. Epist. 1, 18, 112: Det vitam, det opes cet.

** vs. 830: Siquid inexpertum, nobis servetur ad imum,

Horat. A. P. 125 sq.: Siquid inexpertum scenæ committis, et audes Personam formare novam, servetur ad imum cet.

** vs. 831: Ne tamen amoto quæramus seria ludo,

Horat. Sat. 1, 1, 27 prorsus iisdem verbis, nisi quod sed est pro ne.

** vs. 897: Quis siccis referet oculis opprobria mortis,

Horat. Carm. 1, 3, 18: Qui siccis oculis monstra cet. Ceterum scribendum est: Quis referet siccis cet. Nam alliterationis sane ea est vis, ut syllabam brevem producat, ut v. 24: Tempora temporibus æque conjungere coecus, et 105, 332, 356 (sed hic etiam h litera consonæ vicem potest habere, ut apud ipsos adeo veteres, et apud hunc v. 942 alias), 476, 624, 627 (nisi forte cara ibi est ablativus, ut apud Horatium, cujus is est versus), 638, 715, 754 (nisi ibi pr consonæ positionem debilem faciunt, ut sæpe in hoc carmine), 814 (nisi Saba ablativus est), 817, 857, 934, 952, 973, 986, 994, 1011, 1015, 1026, 1028, 1126, 1130, 1139, 1158, 1176, 1180, 1199, 1205. Sed sola arsis vi idem utrum fiat, magnopere dubito, quamvis videatur esse versu 366 et 818. 947: Est hinc longa via, qua perveniatur ad antrum: aut sic distinguendum est: Est hinc longa, via qua cet., aut, quod melius duco, scribendum: antra.

versu 908: Desine, cara, precor, jam desine fundere fletus:

quid sit, cur Tu verbum desine ex Propertio 5, 11, 1 haustum dicas, ego non assequor. Eodem prorsus jure poteris Horatium, Virgilium, Ovidium nominare, et quem non? Sed illud pro certo mihi est, non esse hunc Malchi versum. Fallor an christiani alicujus poetæ sunt verba, quibus Mariam vel aliam feminam sanctam alloquitur?

in versu 940: Imminentur atræ solenni carmine curæ:

Heidbreedius atras curas ex Horatio esse petitas notavit. Voluit aut Carm. 3, 1, 40: Post equitem sedet atra Cura, aut 3, 14, 13 sq.: Hic dies vere mihi festus atras Eximet curas, aut denique, quod unice hic verum est, 4, 11, 35 sq.: minuentur atræ Carmine curæ.

Ad versum 942: Omne genus hominum vincam clangore tubarum,

